

nostram ordinationem, appropriavimus donavimus et dedimus, appropriamus donamus et damus praefatae ecclesiae Mynsensi duos mansos cum quodam horto, areis et curiis ad eosdem agros et hortum pertinentibus, sitos in villa et campis villae Swimicz districtus Mynsensis, quae quidem bona strenuus miles Henricus de Gana a nobis in feodo tenuit et ad manus nostras libere resignavit, quorum agrorum et horti possessores subscripti, videlicet Paulus filius Zobok habens unum mansum solvit ac solvere consuevit in festis beati Michahelis singulis annis viginti duos grossos et in festo Walpurgis viginti unum grossum. Item Johannes filius Heinrici Vciczschwicz duos solidos grossorum in festo Michahelis. Item possidens hortum quatuor grossos cum octo hellensibus cum omnibus fructibus iuribus emolimentis et utilitatibus, quae eisdem duobus mansis et horto insunt vel inesse poterunt in futurum. In quorum omnium testimonium hanc litteram scribi et nostri sigilli maioris appensione fecimus muniri, praesentibus et testibus nobilibus Thiemone seniore et Thiemone iuniore de Koldicz, ac strenuis Kristano de Wiczeleyben iudice curiae, Henrico de Kothewicz cancellario, Johanne Magno de Sewetschin militibus, Bertoldo dicto Wilden canonico ecclesiae Mynsensis et Nycolao plebano in Olsnicz notariis nostris fidelibus dilectis pluribusque aliis fide dignis. Actum die beatae Mariae Magdalenae Aldinburg et datum Dresden anno dom. M^o.CCC^o.LIX^o. in vigilia omnium sanctorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Reitersiegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

No. 514. 1359. 7. Nov.

Die Aebtissin und der Convent zu Mühlberg verpflichten sich zu Begehung des Jahrgedächtnisses ihres Probsts Lutold und der an einer Epidemie jüngst verstorbenen Schwestern in der Domkirche jährlich eine bestimmte Geldsumme an das Capitel zu zahlen.

In nomine s. et ind. trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Auctor humani generis deus etc. Quamobrem nos Kunegundis abbatissa, Elizabeth priorissa totusque conventus monasterii sanctimonialium ordinis sancti Benedicti in Mulberg notum facimus — quod cum venerabilis vir dominus Lutoldus noster et monasterii nostri praedicti praepositus specialis devotionis affectione ad ecclesiam Misnensem eiusque gloriosos patronos — ardentius traheretur, ibique memoriam sui dum in humanis ageret pro salute sua et post ipsius obitum pro remedio animarum suae et progenitorum suorum et parentum ac etiam dominarum singularum et sororum nostrarum conventualium dicti nostri monasterii in mortalitate sive pestilentia, quae nuper videlicet de anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo miserabiliter vigit, defunctarum habendam suis elemosinis facere concepisset nostram accessit praesentiam, nobisque — certam pecuniae de bonis a deo sibi collatis tradidit quantitatem eo pacto, quod nos et monasterium nostrum praefatae Misnensi ecclesiae nec non honorabilibus viris dominis . . praeposito, . . decano et . . capitulo ipsius pro tempore redditus sex sollidorum grossorum latorum Pragensium vel Misnensium annis singulis in beati Michaelis archangeli festis singulis dare et solvere de monasterio nostro et universis bonis et rebus ad ipsum pertinentibus perpetue debeamus. Ipsi